



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Articulus I. An Clericus inhabilis amittat beneficium, vel fructus ejus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

nis; quæ jure privato, vel consuetudine legitimâ certorum locorum constituta sunt, ex privatis eorum moribus, & statutis, quæ justa, & recta, esse discenda, non ex factis; quia non quaritur, quid fiat; sed quid fieri debeat.



QUÆSTIO VI. IN TITULUM VI. DE CLERICO ÆGRO- TANTE VEL DEBILITATO.

649 **C**Um quandoque contingat, Præpositos & Rectores Ecclesiarum inhabiles reddi ad peragendum officium suum (propter quod datum & receptum est beneficium) senio, morbo, vel alio defectu illos inhabilitante ad ea peragenda, quæ sui muneris sunt, tam in spiritualium quàm temporalium administratione; præsentis titulo statuitur, qualiter in ejusmodi eventum Ecclesiis providendum.

ARTICULUS I.

An Clericus inhabilis amittat beneficium, vel fructus ejus?

650 **Q**uæstio procedit de inhabilitate, quam inducit infirmitas, debilitatio, senium, aut alius defectus Physicus, ratione cujus, prout oportet, ac Ecclesiæ bonum exigit, muneri suo præesse non potest. De hoc casu quando inhabilitas nascitur, ex morbo, vel infirmitate, (prout habetur 7. q. 1. cum percussio. 2.) scribit Gregorius Papa l. 2. epist. 3. ad candidum Episcopum, dicens: *cum percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat? DEI in hoc judicium ignoratur: & ideo non debet à nobis addi flagellatis afflictio: ne nos culpa (quod absit) offensa respiciat;* notatur autem ibidem post relatam textum, inc. 1. h. t. re. peti eundem textum, ac defini, quid tali casu sit agendum?

651 In dicto porro c. 1. quod est ejusdem Gregorii Papæ; sic ad eundem Episcopum Candidum scribit Pontifex: *fraternitatem tuam hortamur, quatenus Latorem presentium, ad percipienda, quæ consueta sunt ab Ecclesia tua, aegritudo sua non debeat impedire. Quia si alii ejus essent exem-*

plo deterriti, fortè non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri, *sed secundum ejus ordinem, quacunque ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ, potest accedere, fraternitas tua prabeat agrotanti.*

Confirmari potest hoc ex c. *presentium. 3. eod. 7. q. 1.* ubi Gregorius Pontifex Episcopo Syracusano, qui Presbyterum duorum mensium spatio à sua Ecclesiâ absentem remonerat, scribit, ut, *si manifesta aegritudinis causâ sua Ecclesiâ deficit, nullum ei ex ordinatione alterius Presbyteri permittat præjudicium generari, & in c. Pontifices 4. eod. c. & q. ubi Nicolaus Papa, scribens ad Alvinum Januensem Archi-Episcopum: Pontifices, inquit, qui aliquâ occupantur infirmitate, vel aegritudine, abjiciendi non sunt, nec alios in loco eorum consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce subtrahati.*

Ex hisce juribus deducitur. 1. Clericum cum infirmitate impeditum, etiam perpetuò, à functionibus officii sui, non esse removendum à beneficio, saltem invitum. 2. Integre illi deberi fructus ejus; 3. Etiam distributiones quotidianas, si, cum sanus esset, solitus erat interesse divinis, unde illæ debentur presentibus, constat, præter allatos textus, ex cit. c. ibi: *secundum ejus ordinem, quacunque ei, si sanus esset, poterant ministrari de ipsa exiguitate Ecclesiæ potest accedere, prabeat agrotanti.*

Dixi: *si, cum sanus esset, solitus erat interesse divinis, ex quibus capiuntur distributiones quotidianæ, ut innuere, tunc solum deberi eas agrotanti, quando absentiam principaliter inducit infirmitas; non autem, quando etiam sanus non solebat residere, aut divinis interesse;* tunc

tunc enim absentia non praesumitur nasci ex infirmitate, cujus tamen intuitu, Ecclesia benignè infirmos habet pro moraliter praesentibus, ac eis indulget perceptionem non modò fructuum, sed etiam distributionum, cujus rationem dat Abbas ex c. *Majores*. 3. de Baptif. quòd casus superveniens, recipiat interpretationem juxta statum proxime praecedentem; ex quo arguitur, etiam superveniente infirmitate, absentiam non esse tam ex illa; quàm aliunde, sicut erat, cum sanus interesse potens, aberat.

Diximus haec, Clericum seu Beneficiatum ex infirmitate inhabilem pro functionibus sui muneris, non esse privandum beneficio, & fructibus ejus, sed illi deberi, ut ante, quod etiam dicendum videtur, si contingat idem ex debilitatione, seu mutilatione, licet ei evenerit ex culpa, modò talis non sit, ex quo titulo delicti, removendus sit. Nam textus in c. *cum percussio*, vult non debere attendi in tali casu, unde percussio, seu infirmitas, & impotentia corporalis, seu inhabilitas illa perveniat, ut constat ex textu in n. 651.

ARTICULUS II.

Qualiter beneficium providendum, ubi ejus Clericus aegrotat, vel debilitatus est?

655 **E**T si verum sit, titulo infirmitatis, vel debilitationis Clericum non esse removendum à beneficio, & fructibus ejus, sublato ei jure in ordine ad hunc effectum retinendi jus & possessionem ejus, quia tamen certum est, etiam Ecclesiae, sui Clerici, vel Rectoris functionibus destituta, providendum esse, ne divina officia praetermittantur; quaestio est, quid in hoc puncto jure constitutum sit? R. Ante resolut. not. *Coadjutoriam* esse facultatem alicui concessam adjuvandi Beneficiatum in beneficii regimine, nam ab officio *coadjuvandi* dicitur *Coadjutor*; sic Joan. Andr. in c. *fin. de Cleric. non resident. n. 4.* *Coadjutor*, inquit Sylvester V. eod. (ut ipsum nomen sonat) est, qui in alterius adjutorium datur, vel assumitur, vel alio nomine *Adjutor* dicitur. In Jure Canonico est ille

Tom. III.

qui Praelato, in temporalibus & spiritualibus impedito, datur in adjutorium, ut vel rem temporalem, vel spirituales, vel utramque administret. c. *de Rectoribus* & c. *ex parte c. Consultationibus. de Clerico aegrot.* Ubi sermo tantum est de illis, qui non habent futuram successionem, nam Coadjutoriam cum futura successione solus mos, & stylus Curiae Romanae introduxit.

Not. 2. *Coadjutoriam* esse duplicem, 656
 aliam *temporalem*, aliam *perpetuam*, aliam *cum jure succedendi in beneficio*, aliam *sine tali jure*: si autem quaeras, an Coadjutoria sit *beneficium Ecclesiasticum*? R. negativè, quocumque modo concedatur. Nam Coadjutori absque futura successione solum conceditur functio, & regimen beneficii, non quidem jure, habito, & potestate; sed facto ipso. Per futuram autem successionem solum datur jus ad beneficium non jus *in beneficio*: ergo Coadjutoria beneficium non est: Sic Abbas c. *de Rectoribus*, de Clerico aegrotante n. 6. Azor 2. p. *instit. mor. l. 3. c. 2. g. 4.* Quapropter *Coadjutus* beneficium retinet, tametsi impotens sit, illud administrare. c. *ex parte de Cleric. aegrot. c. unico. eodem in 6. Trid. Sess. 25. de form. c. 7.*

Dices in c. *Tua nos. 4. de Clerico aegrot.* 657
 dicitur quòd ab administratione officii debeat removeri, ibi: *de Sacerdote, qui divino judicio lepra morbo repercussus, in parochiali Ecclesia praelationis officio fungitur: dicimus, quòd pro scandalo, & abominatione populi, ab administratione debet officio removeri, ita quòd juxta facultates Ecclesiae sibi necessariae, quamdiu vixerit, ministrentur.* R. Ex hoc plus non probari, quàm esse removendum ab administrationis officio, seu exercitio, propter scandalum & horrorem, non autem à potestate, hinc jus administrandi penes eum erit in habitu; penes Adjutorem in facto, sic Azor p. 2. l. 3. c. 3. g. 4. Garcia de *benefic. p. 4. c. 5. n. 5.* Ex quo fit, Beneficiato, solum juxta impedimentum Coadjuri, Coadjutorem concedi, si enim Coadjutus tam temporalia, quàm spiritualia administrare impeditus est, Coadjutori concedenda est libera potestas spiritualium, & temporalium administrandorum: At, si temporalia administrare

U 2 strare